

## D E F E N S I O.

nō adscripsi: Halitus siccos (de his enim sermo ibi erat) suscitari seu generari in terrae profundo aio nō tā à caliditate siderū, quæ in profundū non semper descēdit, quā à concluso in hjs locis calore. Hunc enim esse qui terrā calefaciendo extenuet, atq; in exhalationes uertat. Quod cum affirmo, nihil minus cogito quam terrae, quæ sua natura frigida & sicca est, calorē propriū & insitū affingere. Cōclusum in eius profundo calorem nunc magis, nūc minus uigere, nullus dubitat, puto. Propriū quendā habere eā calorē instar animaliū, à quo generantur, figurantur, & conseruantur, nullus unquam affirmauit, qui frigidam siccacē esse nouit. Qui enim proprio calore præditam quis putet, quæ caliditate omni naturaliter orbata est: Quām leuiter ergo nostra ponderārit, imò quām nullo modo expenderit, tu, clarissime Dudithi, præclare iam perspicis.

Quidr' quod ne illud quidem dixi, calorem, qui in terra modò parcior modò copiosior deprehendit inclusus, sic terrena illa alterare & perficere, ut calor animalium insitus facit: sed ferè sic alterare dixi. Plurimum autē interest, inter hasce duas orationes. Calor in terra existēs subterranea sic mutat, quomodo congenitus animalium calor, quæ in animalibus fiunt, mutat: & Calor in terra inclusus sic ferè terrena mutat, quomodo nativus animalium calor animaliū actiones efficit. Quippe nō sic est calor ille in terra latens terrae conseruator, sicut insitus animalium calor eorūdē est conseruator. Quatenus vterque partes aliquas tenuat calefaciēdo, easq; in uapores atq; fumos uertit, eatenus solū actio vtriusq; similis est. Vt porrò uera esse, quæ dixi, planius intelligas, simulq; non falso me accusare eius negligētiām perspicias, ad argumēta, quibus me peti arbitratus est, breuiter respōdebo. Si calorē terra propriū habet, inquit, ubi nā is est: Si ubiq; est, cur non percipitur: cur non in summa parte, ubi necessitas perpetua est coquendi & alēdi radices, fruges, &c. percipue sentit: At q; insitū est, addit postea, semp.

L. 4